

explicarint legem Decalogi, doctrinam de pœnitentia, *Symbolum* quod *Apostolicū* vocatur, & *Dominicam precationem*, antequam acciperet in manus libros Mosis & Prophetarum enucleandos.

Hanc methodum seruauit Dominus, cū summam suarum legum, quas postea fuisse per Mosem explicauit, duabus tabulis, decemque præceptis, complexus est. Hanc eandem Christus secutus est, cum legis summam duobus præceptis, dilectione scilicet Dei & proximi: & summam Euangelii, prædicatione pœnitentiæ, & remissione peccatorum comprehendit, & docuit. Hanc postea & Patres tam Græci, quam Latini, imitati sunt, quorum alii certos quosdam locos diligenter pertractarunt, alii summam etiam omnium locorum communium cōplexi sunt, vt Theod.^{επιτομὴ τεῖχος δογμάτων}, Augustinus Enchiridio ad Laurentium, item de fide ad Petrum.

Ergo de hac docendi methodo dubitandum non est, quin eadem nobis quoque sit imitanda. Cū verò necessaria sit hæc tradendorum ante omnia locorum communium, tanquam primorum principiorum ratio, hinc perspicuum est, quod id in omnibus tradendis artibus solitum est fieri, siquidē nullæ artes, nullæve disciplinæ rectè tradi, ut iliter ve percipi possunt, nisi priùs iacentur & explicitur fundamenta, quæ prima vocantur cuiusq; artis principia. Sic Grammaticæ præcepta & principia primò docentur pueri, antequam ad Ciceronis aliorumve autorum lectionem admittantur. Sic in Dialecticis, sic Mathematicis, sic deniq; in Philosophicis & aliis scientiis omnibus fieri consuevit.

Id